SENTENTIA, IN PROCESSV ILLVSTRISSIMI D. ARCHIEPISCOPI D. PETRI APAOLAZA, ET ALIORVM.

CONTRA

Priorem, & Confratres Confraternitatis Sanctorum Ioannis, & Georgij.

SVPER

Exeptione iurisdictionis ordinariæ, & solutione Decimarũ.

CHRISTI NOMINE INVOCATO.

ATtentis Contentis, pronuntiamus, & declaramus, Dominos Gasparem Torrijos, Doctorem Egidium Fuster, Saluatorem Thomam Iordan, Martinum Anzano seniorem, Petrum Martinum Borau, & Doctorem Illefonsum Moles ; prætendentes exemptos esse à iurisdictione ordinaria, & solutione Decimarum, vti confratres, familiares, & Donatos Confraternitatis Sanctorũ Ioannis, & Geor

gij, Ordinis, vt aſſerunt, Sancti Ioannis Hieroſolimitani, inſtitutæ, & fundatæ in Eccleſia del Temple Cæſarauguſtanæ Ciuitatis; non eſſe exemptos à iuriſdictione ordinaria, neq; à ſolutione Decimarum: Neque Priori, & Cõfratribus dictæ Confraternitatis Sanctorum Ioannis, & Georgij, aliquod ius cõpetere, quo, Confratres dictæ Confraternitatis, à iuriſdictione ordinaria, & ſolutione Decimarum, eximãtur. Cum enim de iure non habeant intentionem fundatam, oſtendere tenebantur vnde talis exemptio eis competat. Ex documẽtis autem, in hoc proceſſu exhibitis, hoc non apparet. Nõ ex litteris Apoſtolicis: nam illæ quæ de Confratribus dictæ Cõfraternitatis loquuntur, ſcilicet, Pauli III. & Sixti V. tantummodo ſunt confirmationes, in forma communi, cuiuſdã Aggregationis factæ per Reuerendũ fratrem Vaſcum de Ataide, munitum, vt aſſerit, facultate Magni Magiſtri, & Capituli Generalis; per quam admittit, pro ſalute ſuarum animarum, tam viros, quam fœminas Confratres dictæ Confraternitatis, in Familiares, Cõfratres, & Donatos Sancti Ioannis Hieroſolimitani; & cõmunicat Exemptiones, Gratias, Indulgentias, & Priuilegia, quibus ſimiles Confratres gaudere ſolent, vt ſunt, ea quæ ad bonum animæ reſpiciunt, vt in omnibus ſimilibus Aggregationibus: Non vero præfati Põtifices concedunt exemptionem à iuriſdictione ordinaria, & à decimis, viris, & mulieribus Confratribus, cum talis exemptio non ſoleat concedi, niſi cum magna difficultate, & præuia cauſæ cognitione, & in ſpecifica forma: Nec ſub in volucro verborum, & ſine neceſſaria derogatione Cap. Nuper de Decim. ita enormis Eccleſiarum læſio comprehenditur; cum neque ſpecifica exemptio à Decimis, enormiter læſiua ſuffraguetur. Qua ratione, motus Clem. VIII. extenſionẽ ad Donatos exemptionis huiuſmodi factã à Gregorio XIIII. reuocauit, & annullauit. Et in his Aragonũ Regnis difficilior conſideratur hæc exemptio Decimarum, in præiudiciũ donationum à Sede Apoſtolica conceſſarũ Regibus, de Decimis, ex terris, à quibus Mauros eiecerãt. Alię autem litteræ Apoſtolicæ, quæ adducuntur, videlicet, Pij IV. Pau-

di V. & Vrbani VIII. Quæ confirmationes Priuilegiorũ Ordinis Sancti Ioannis Hierosolimitani cõtinent: licet de Donatis in aliquibus fiat mentio, cum de prædicta exemptione tractatur, non vtique de his Donatis viris, & mulieribus, qui matrimonium contrahunt, loquuntur, sed de illis Donatis, qui, vel professionem emisserunt legitimè, secundum regulã sancti Ioannis, vel saltem prędictæ militiæ actu seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, iuxta sancti Concilij Tridentini decretum. Ex quibus constat nulla adduci priuilegia, quæ eximant prædictos Confratres à iurisdictione ordinaria, & solutione Decimarum. Accedunt his, ex abundanti, solutiones Confratruum, per spatium triginta, vel quadraginta annorum, vt ex testium depositionibus constat: quę solutiones sufficerent, secundum iuris dispositionem, ad extinguendum, etiamsi exaret, priuilegium non decimandi. Ex quo etiam sequitur, nec prædictos Confratres habere huiusmodi exemptionem ex titulo cõsuetudinis immemorabilis, cum ex testibus, productis pro parte Illustrissimi Domini Archiepiscopi, & Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, probentur plures pacifici actus solutionis Decimarum, facti per prædictos Confratres; & quod Illustrissimi Domini Archiepiscopi, seu eorum Officiales, multos dictæ Confraternitatis Cõfratres recusantes soluere Decimas, ad earum solutionem, per iuris remedia, cum effectu compellerint; & hoc, citra centum annos: quo casu, proculdubio elliditur, & omninò perit immemorabilis, etiam per solum vnum actum contrarium: hic autem plurimi inueniuntur, tam ex depositione testium, quam ex partitis exhibitis librorum relationum Decimarũ. Neq; Confratres aliquam immemorabilem probant per testes à nobis examinatos, de quibus tantum rationem habemus; nã reasumptionem prætensam depositionum testium defunctorum, qui fuerunt examinati coram Iudice laico, in causa summarissima, & sine citatione partis, in hoc Iudicio Ecclesiastico plenario non admittimus. Ex quibus, & alijs in facto iustitia, & ratione consistentibus, pronuntiamus, decernimus, & declaramus, Confratres pręfatę Cõfraternitatis Sanctorum

rum

rum Ioannis, & Georgij, non esse exemptos à iurisdictione ordinaria, neque à solutione Decimarum. Insuper, prædictos Confratres supra nominatos, necnon Priorem, & Cõfratres dictæ Confraternitatis, respectiue, in expensis cõdemnamus, quarum expensarum taxationem, nobis, vel cui de iure, in posterum reseruamus. Et ita dicimus: non solum prædicto, sed & omni alio meliori modo. Ita pronuntiaui.

Ego Michael Martel,
Offi. Eccl.

Pronunciatum vt supra, in Consistorio Eccl. Cæsaraug. die decima nona Mensis Aprilis, anni milesimi sexcentesimi trigesimi octaui.